

beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se novem- A
rit incursum.

Dat. Vellei. K. J.

XCV.

Ad *** cum adhuc presbyter cardinalis.

[MANSI Concil., XXI, 617.]

De abusivis et abusionibus quæ hoc tempore in
Ecclesia Dei sunt, multa, reverende frater, in charta
notasti, et plura notare potuisti: quia peccatis no-
stris exigentibus multo plura sunt in hoc pericu-
loso tempore, quam in diebus patrum nostrorum.
Quæ tanto liberius et crebrius sunt, quanto nulli,
aut paucissimi sunt, qui ex adverso ascendunt, et
murum pro domo Israel opponendo stent in prælio

in die Domini. Unde credimus Antichristum vel jam
venisse, vel in proximo venturum esse, cujus faciem,
sicut in Job legitur, præcedit egestas: egestas si-
quidem virtutum, et virtuosorum hominum, ut ea
liberius voluntatem suam faciat, quo fere nullus
est qui ei contradicat. Inter hoc autem, bone frater,
quid tibi agendum sit non ignorat tua religiositas
a cunabulis sacris litteris erudita. Ego attem, hoc
mihi video faciendum, et utinam faciam! et hoc
tibi consulo tanquam charissimo fratri, ut abomi-
nationes quæ sunt Domini adjutorio vitemus, et sa-
per his qui faciunt doleamus, quatenus vir ille ve-
stibus lineis de quo in Ezechiele legitur, Tau super
frontem nostram signet, et non occidamur.

VARIORUM AD LUCIUM PAPAM

18 EPISTOLÆ.

I.

Alphonsi regis Portugalie epistola ad Lucium II papam, qua regnum suum Romanæ Ecclesie tributarium constituit.

(BALUZ., *Miscell.* edit. in-fol., tom. III, pag. 78.)

LUCIO secundo A. rex Portugalensis (9).

Claves regni cælorum beato Petro a Domino no-
st Jesu Christo concessas esse cognoscens, ipsam
patronum et advocatum apud Deum omnipotentem
habere disposui, ut et in vita præsentii opem illius
et consilium in meis opportunitatibus sentiam, et
ad præmia felicitatis æternæ ipsius suffragantibus
meritis valeam pervenire. Quocirca ego Adefonsus
Dei gratia Portugalensis rex per manum domini G.
diaconi cardinalis, apostolicæ sedis legati, domino
et Patri meo papæ Innocentio hominum feci, et
terram quoque meam beato Petro et sæctæ Ro-
manæ Ecclesie offero sub annuo censu quatuor
unciarum auri, ea videlicet conditione et tenore ut
omnes qui terram meam post decessum meum te-
nerint, eundem censum annuatim beato Petro sol-
vant, et ego, tanquam proprius miles beati Petri
et Romani pontificis, tam in me ipso quam in
terra mea vel in iis etiã quæ ad dignitatem et ho-
norem meæ terræ ac etiã defensionem et solatium
apostolicæ sedis habeam, et nullam potestatem ali-
cujus ecclesiastici sæcularisve dominii, nisi tantum
apostolicæ sedis vel a latere ipsius missi, unquam
in terra mea recipiam (10).

Facta oblationis et fortitudinis charta Idus Decem-
bris, æra MCLXXX. Ego supradictus Adefonsus Por-
tugalensis rex hanc chartam fieri jussi, et libenti

(9) Proclamatus rex an. 1139. MARIAN. l. x,
c. 17.

(10) Vide Innoc. III, lib. 1, epist. 99, 441, 448;

B animo coram idoneis testibus propria manu con-
firmo (11).

Ego Joannes Bracarensis episcopus confirmo.

Ego B. Colimbiensis episcopus confirmo.

Et ego Petrus Portugalensis episcopus confirmo.

II.

*Ulgerii Andegavensis episcopi ad Lucium II papam: — Odonem S. Martini Turohensis decanum com-
mendat.*

(DUCESNE, *Hist. Franc. script.*, IV, 769.)

LUCIO Dei electione summo pontifici, dilectissimo
domino suo et omnium ULGERIUS, ejusdem permisso
Andegavensis licet indigne dictus episcopus, et ser-
vus ejus, officiosam subjectionem, et devotam obe-
dientiam.

C Charissimos pedes sacrosanctæ majestatis vestræ
precibus et supplicatione postulare præsumimus,
quatenus venerabilem decanum Beati Martini do-
minum Odonem, virum egregium, cum ad vestram
venerit præsentiam, pro vestræ benignitatis mis-
ericordia dulciter et mansuete suscipiatis, et ejus
graves molestias in lætitiã convertatis, et cum ple-
nitudine pacis et gratiæ vestræ, quod vestram se-
renitatem decet, eum ad nos et ad propria remit-
tatis. Coram vobis, cui perniciosum est mentiri,
testamur quod cum ad modo dictam ecclesiam ve-
nissemus, et capitulum, quod tunc frequentissi-
mum residebat, fuisset ingressi, nullum in fra-
tribus illis intelleximus, qui in superius nominatum
decanum clamaret, vel ei in aliquo derogaret. Sed
potius ei plurimum ob istiusmodi increpationem
vestram condolebant, et unanimes voce concordii

447; lib. XIV, epist. 59; lib. XV, epist. 24.

(11) Pontificis responsum vide supra sub num. 26.

commendantes eum, promittebant totum scire suum, et totum posse suum, et se venturos ad genua vestræ misericordiæ si opus sit, et facturos in ejus defensione quidquid honorum devotio filiorum habet facere pro defendendo bono patrono suo. Probate et religiosæ personæ orant pro illo nobiscum, quas ipse consuevit fulcire consilio, et fovere auxilio. Conservet vos Deus desideratum Patrem et rectorem Ecclesiæ suæ et toti mundo diu superstitem. Pro vobis, Pater, oramus, et in capitulis et in conventibus orari facimus.

III.

Ejusdem ad eundem.—Robertum priorem S. Cosmæ Turonensis commendat.

(Duchesne, *ibid.*)

Lucto, Dei electione summo pontificum, reverentissimo Patri suo, et omnium, et domino, ULCERIUS dictus Andegav. episcopus, servus sanctitatis, devotam subjectionem et officiosam obedientiam.

Domnus Robertus venerabilis prior Sancti Cosmæ Turonensis, vir quidem magnæ religionis, ad januam vestræ misericordiæ pro negotiis et necessitatibus pauperis Ecclesiæ, cui auctore Deo præsidet, et pro qua plurimum laboravit, proficisci deliberavit. Unde nos confisi de vestræ misericordiæ consuetudine, pedibus vestræ Majestatis supplicare rogando præsumimus: quatenus eum, cum ad vestra genua venerit, benigne suscipiatis, et in petitionibus suis, quas dignas auditu ante clementiam vestram fuderit, efficaciter exaudiatis, et a serenitate vultus vestri lætum ad propria eum remittatis. Quanto citius potero dirigam ad vestram paternitatem Peloquinum clericum et servum vestrum, officialem meum, cum intersignis servitutis meæ: qui vice mei desideratos vestros vultus videndo, et optatam vestram sospitatem mihi nuntiando, desiderium meum impleat. Quandoquidem impediende infirmitate mea et senectute, ad vos, charissime domine, venire non sufficio. Conservet vos pietas Christi diu superstitem super terram, piissimum Patrem Ecclesiæ suæ. Valete.

IV.

Ecclesiæ Leodiensis ad Luctum papam.—De nova hæresi deque Americo ab ea converso, quem illi commendat.

(MARTÈNE *Ampl. Collect.*, 1, 777.)

Domino et Patri reverendo L. Dei gratia summo pontifici Ecclesiæ Leodiensis, fideles orationes et in Christo debitæ subjectionis obedientiam.

Ut arbitramur, et res ipsa declarat, idcirco divina dispositio in arce catholicæ Ecclesiæ sedem Romanam posuit, ut ipsius providentia suis membris

tutela procuretur, et ad eam refugium habeant, quibus surgentia bella exitium minitantur. Igitur veterum hostium deprehensas noviter insidias ad vestram paternitatem, cui credita est sollicitudo omnium ecclesiarum, deferimus, ut eorum conatus vestra relidantur industria, qui sub specie religionis animas simplicium in errorem ducunt, et unius integritate fidei, quæ multis in locis vulnerata est, sicut apud nos compertum nunc esse constat, sancta Dei convalescat Ecclesia. A Monte Guimari (12), quo nomine quidam vicus in Francia dicitur, quædam hæresis per diversas terrarum partes defluxisse cognoscitur; quæ adeo varia et multiplex est, ut sub unius certo vocabulo minime comprehendere posse videatur, cujus apud nos sectatores quidam detecti, convicti et confessi sunt, hos turba turbulenta raptos, incendio tradere deputavit;

sed nos, Dei favente misericordia, pene omnes ab instanti supplicio, de ipsis meliora sperantes, vix tamen eripimus: quorum unus hic est quem ad paternitatem vestram sua petitione destinare curavimus. Hæresis hæc diversis distincta est gradibus; habet enim auditores, qui ad errorem inittantur; habet credentes, qui jam decepti sunt; habet christianos suos, habet sacerdotes, habet et cæteros prælatos sicut et nos. Hujus hæresis nefandæ blasphemæ sunt, quod in baptismo peccata remitti negat, quod sacramentum corporis et sanguinis Christi inane reputat, quod per impositionem pontificalis manus conferri nil asseverat, quod neminem Spiritum sanctum accipere credit, nisi bonorum operum præcedentibus meritis, quod conjugium damnat, quod apud se tantum ecclesiam catholicam esse prædicat, quod omne juramentum velut crimen judicat. Hi tamen qui hujus sceleris sectatores sunt, sacramentis nostris fecte communicant, ad nequitie suæ velamentum. Horum adhuc auditor erat hic Americus, quem ideo ad vos direximus, ut vestro iudicio Deo et sanctæ ipsius Ecclesiæ satisfaciat, et sponsonem quam fecit beatis apostolis, cum in discrimine vitæ positus esset, adimpleat. Vovit enim, ut dicit, si eorum meritis et precibus evadere posset, quod eorum limina devotus visitaret, ut ipsis gratiarum actiones pro conservata salute rependeret; alios vero hujus erroris participes per religiosa loca divisimus: quid super eis ad correctionem agendum sit a vobis expectantes. Præterea charitati vestræ notificamus quia secundum quod ab his qui a nobis deprehensi sunt, accepimus, omnes Gallici regni atque nostri civitates hujus erroris veneno ex parte magna infectæ sunt. Provideat itaque vestræ paternitatis solertia, ne virus hoc altius serpat, sed cauterio diligentie salutaris aduratur, ut deficiat. Vale.

(12) Forte Monte Limarii urbe Galliæ in Delphinatu ad radices collis, haud procul a Rhodano fluvio, circa quam Petrus de Bruis Lucii II tempore

errores suos disseminavit, qui magnam cum descriptis hac in epistola afinitatem habent.